



Nr. 14

30

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM

Q V A R T A

DE

PECCATI ADAMICI  
ET ALIENI IMPUTATIO-  
NE ET PARTICIPATIONE,  
TANQVAM SUPPOSITO DOCTRINAE DE  
SATISFACTIONE ET JUSTIFICATIONE, SEU  
IMPUTATIONE JUSTITIAE CHRISTI:

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA  
*die XXIII. Aug. hujus MDCCXIX. anni*

PRAESIDE

JOACHIMO LANGIO,  
SS. THEOL. D. ET PROF. ORD.

Placidae disquisitioni subjicit

RESPONDENS

JOANNES CASPARUS Blümser/  
NIDERNDODELEB. MAGDEBURGICUS,  
S. Theol. Cultor.

*af.*

---

HALAE SAXONUM,  
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.

PIETATIS ET MERCATORUM  
PRAECEPSA VITAM IN PIA  
MORIBUS

QVATRINA

PRAECEPSA ADAMCI  
ETATRIN HINNATI  
SCEMPARICUS  
TANDEM RULPOSIUS DEDUCITUR  
GASTRODONE ET HISTOGRAMMA  
TUTUONIS ET TUTUONIS

In Rota Fiducia  
Credere et credere  
Credere et credere

LOAQUICIA AMEGO  
LOAQUICIA AMEGO

LOAQUICIA AMEGO  
LOAQUICIA AMEGO

LOAQUICIA AMEGO



## SECTIO PRIOR

### DE VERA SENTENTIA EC- CLESIAE EVANGELICAE IN DOCTRINA DE PECCATI ADAMICI IMPUTATIONE, SUPPOSITA EJUSDEM PARTICIPATIONE,

#### PROPOSITIO I.



Imputatio generatim dicta est actus, quo aliqui aliquid tribuitur, causa ejusdem ipsi assignata, aut in eum ob participationem translata.

#### PROPOSITIO II.

Imputatio est vel *simplex*, seu *reciproca*, in causa ad imputandum inhärente & propria; vel *tralatitia* in causa aliena, intercedente participatione.

SECTIO PRIOR.  
PROPOSITIO III.

Imputatio *simplex*, seu *reciproca*, nihil est aliud, quam declaratio, alicui aliquid competere per notionem causæ propriæ & inhærentis. Quod imputandi genus non incomode *reciprocum*, seu inhærens dicitur, quia imputatio ratione causæ eo recidit, ubi inhæret, & unde profecta fuerat.

ILLUSTRATIO.

Lev. VII, 18. *Si quidquam comeditur de carne sacrificii eucharistici ejus die tertio, non erit acceptum; ei qui obtulit illud,* לֹא תִהְשַׁבֵּךְ, *εἰ οὐσιοθέσται ἀντὸν non imputabitur illi,* [tanquam sacrificium legitime oblatum] *Ιες wird ihm nicht zugerechnet werden/ res abominabilis esto: quam ob rem is,* qui conederit ex ea, *iniquitatem suam fert.*

Lev. XVII, 3. 4. *Quicunque e familia Israelitis jugulaverit bovem, aut agnum, aut caprum in castris, aut extra castra, nec ad osium tabernaculi convenitus adduxerit illum, sanguis שָׁפָר, λογισθήσεται, imputabitur isti viro, sanguinem effudit [ perinde habetur, ac si hominis innocentis sanguinem effudisset.] Quaropter exscindetur vir ille e medio populi sui.* Conf. Num. XVIII, 27.

Prov. XXVII, 14. *Qui benedicit amico suo voce magna primo mane [ sed ex assertatione & subdolo animo ] maledictio תהַנֶּה, imputabitur ei, das wird ihm für ein F uch gethnet.*

Psalm. XXXII, 2, CXXX, 3. dicitur peccatum proprium alicui imputari, aut non imputari, in pñnam.

2. Sam.

## SECTIO PRIOR.

2 Sam. XIX, 19, 20. *Simei Davidi*, post compositos Ab-schalomi motus reducto, sit supplex, ipsumque demississime rogat, *ne sibi imputet iniquitatem suam in regem commissam*, *אֱלֹהִים יְהוָה בְּרַכְתֶּךָ וְעַמְּךָ עֲזָבְתָּ*, μη λογισασθε ο κριτος με ανοικλαν, *ne imputet mihi dominus meus iniquitatem*, mein Herr rech-ne mir nicht zu die Misserthat. Conf. 2 Sam. III, 8. *Non tra-didisti te in manum Davidis*, & nikelominus imputas mihi ini-quitatem istius feminae hodie? und du rechnest mir heut eine Misserthat zu um ein Weib?

Psalm. CVI, 30. 31. collat. Deut XXV, 7. seqq. Pinchas o-  
lus suis, pro divina gloria scortationis flagitio oppositus, di-  
citur reputatus, seu imputatus esse ad justitiam, η ελογισθη αν-  
τω εις δικαιουμενη, & imputatum est ei ad justitiam, es ward  
ihme gerechnet zur Gerechtigkeit/ h.e. pro bono opere re-  
putabatur.

Jes. LXVI, 3. *Qui bovem immolat [ sine contritione & fide] reputatur ac si percuteret virum: qui sacrificat pecudem, ac si decollaret canem: qui offert mincham, ac si offerret san-guinem suis: qui adolet ihus, ac si benediceret iniuitati, seu idolo.*

Sic Paulus mentioni desertionis, qua ipsum in vinculis  
amici affixerant, subjungit deprecationem *imputationis*: μη  
αυτοις λογιδειν, ne illis imputetur, es werde ihnen nicht zu-  
gerechnet. 2 Tim. IV, 16. Conf. Rom. II, 16. ubi preputium, seu  
status preputiorum ενομουσι, in circumcisionem imputari,  
seu loco Judaisini, circumcisione autem, seu Judaisinus, pro  
preputio h. e. pro statu gentili, repurari dicitur.

## OBSERVATIONES.

1. Quemadmodum ex adductis exemplis liquet, *impu-tatio reciproca* locum habet, uti in *propria culpa*, sic etiam in *proprio merito*. *Meriti* tamen *proprii* nullam esse ad vi-tam aeternam imputationem, e doctrina de justitia Dei vin-dice, de peccato, de satisfactione & justificatione liquet.

## SECT' O PRIOR.

2. De simplici, seu reciproco, hoc imputandi genere, quod Deus sive in præmiis, sive in pœnis exercet, generatim valet illud Salomonis in encanis templi: *Tu audies in celo & facies & judicabis servos tuos, ut impium pronunties impium, reddendo viam ejus in caput ejus; justum autem pronunties iustum, reddendo ei secundum iustitiam ejus.* 1 Reg.VIII,32.

3. Imputatio hæc simplex haçtenus descripta e dicto Pauli Rom. IV, 4,5, etiam vocari potest *imputatio secundum debitum*, opposita illi, quæ sit secundum *gratiam*, seu favorem imputantis & in negotio salutis locum habet,

4. Ad imputationem *simpli em κατ' ἀναλογίαν* pertinet *imputatio Logica*, qua illi, qui principium aliquod statuit, non immerito tribuuntur *consequentiæ*, qua inde secundo quasi flumine derivantur; sed tamen non sine *moderatione*, quam varii personæ & rerum respectus requirunt. Nec enim omnes omnia vident. De re vero ipsa bene judicat AUGUSTINUS L.II. de doctrina Christiana c.33. Ideo inseritur vera connexione, quod falsum est, ut eum, cuius errorum corrigerem volumus, panteat concessisse precedentia, quorum consequentia videt esse responda. Sic Christus Phariseis ob præpostorum traditionum studium præceptorum divinorum abrogationem tribuit, et si ab iis directe haud intentam. Matth. XV, 6. Per eandem consequentiam Paulus Galatis c. V, 4. adscribit Christi ac gratiæ jacturam, ex inconsulto circumcisionis studio inductam; uti Romanis & Corinthiis infirmorum perniciem, offensione effectam, hoc argumento ipsis ab offendendi levitate retracturus Rom.XIV,15 i Cor.VIII, 1 13. Conf. Cel.Theologi Tübingensis, D. Io. CHRISTOPHORI PFAFFII Disput. de *Imputatione Divina* p. 13. seqq. qui etiam in aliis & cognatis hujus doctrinae momentis legi & hic conferri meretur.

PROPO-

SECTIO PRIOR.  
PROPOSITIO IV.

7

Imputatio *tralatitia* est actio, quo alicui sive culpa aliena, sive meritum alienum, supposita participatione, adscribitur; & culpa quidem in poenam, aut ad satisfactionem; meritum vero in præmium.

ILLUSTRATIO.

Jon. I, 14. *In clamaverunt remiges Iehovam, dicentes, obsecramus Iehova, ne jam pereamus pro anima viri istius, & nedes super nos [ne imputes nobis] sanguinem innocentem [h.e. hominis, qui nos non offendit, sed te auctore & sua culpa aliunde contracta huic poenæ adjudicatus est.] conf. Macc. II, 5.*

Philem. v. 18. 19. *Quod si [Onesimus] quid detrimenti tibi intulit, aut debet, hoc mibi imputa: ego repandam.*

Not. 1. Priori exemplo nauta, nullius participationis hac in causa sibi conscius, imputationem culpa translativam, seu ipsius culpa alienæ imputationem, deprecantur: posteriori Paulus alienæ culpa translationem expetit, pro ea, si desideretur, satisfacturus.

2. Imputatio quidem in omnibus vita ordinibus innumerisque casibus locum habet; maxime autem est notabilis in *foco*. Et *imputationis forensis* causa, ut ejus natura & proprietas recte cognoscatur, instituta est tota hac hujus doctrinæ disquisitio.

3. Exempla hujus Propositionis plura videantur Propositione VI. Omnium vero illustrissimum est exemplum in *utroque Adamo*, cum humano genere collato: & in primo quidem ratione culpa; in secundo ratione meriti, e translata & expia-

## SECTIO PRIOR.

<sup>8</sup> expiata primi Adami culpa in universum genus humanum diffundendi. Sed de dogmate hoc evangelico deinceps Prof. X. & XI. uti & suo loco in peculiari Dissertatione.

### PROPOSITIO V.

**Nulla imputatio justa est, nisi idoneo *inbas*ionis, aut participationis & communionis, fundamento nitatur.**

### ILLUSTRATIO.

Valet hic generatim regula Dei judicialis: *unicuique redditum iri secundum vias suas & secundum opera sua, & unicuique de se ipso rationem reddendam esse.* 2 Chron. VI, 30. Psal. LX, 13. Jer. XVII, 10. XXV, 14. XXXII, 19. Matth. XVI, 27. Rom. II, 6. c. XIV, 12. 1 Cor. III, 8. 2 Cor. V, 10. Gal. VI, 5. 1 Pet. I, 17. Apoc. II, 23. XXII, 12.

Et hanc regulam judicialem declarat illa de *re*cto & *ju*sto *judicio*, identidem inculcata. Vide inter alia Prov. XVII, 15. *Qui absolvit improbum & qui condemnat iustum, abominantur Jehova sunt aequae ambo.* Item Jes. V, 20. seqq. *Vx dicentibus de malo, bonum, & de bono malum esse; statueribus amarum pro dulci & dulce pro amaro;* *absolventibus improbum propter minus, & iustitiam iustorum abjudicantibus uniuersique eorum.*

Speciatim hoc pertinent loca de *peccatis parentium ipsorum filiis* ad *peccatum non imputandis*, si nimur ab *imitationis & participationis culpa absint*. Deut. XXIV, 16. *Ne morte afficiuntur patres pro filiis, nec filii morte afficiuntur pro parentibus:* quisque propter peccatum suum morte officitor. Conf. 2 Chron. XXV, 4. Ezech. XVIII, 4, 10, 13-20. item Ezech. XIV, 14. & Zach. III, 2.

Præcepti hujus memor Amaziah rex Judæ interfecit quidem patris sui, Joaschi percussores, sed filiis ipsius, quos insontes

### SECTIO PRIOR.

infontes invenerat, pepercit. Conf. 2 Chón. XXV, 3, 4. Sic nec *Lotus* luit poenam Sodomitarum Gen. XIX. Et cum impius *Jerobeamus* probum reliquisset filium *Abijam*, huic apostasia patris non fuit imputata: utpote de quo vates Abijah: *Is solus, inquit, perveniet Jerol eā no in sepulcrum; eo quod inest huic e domo Jerobeami aliquid boni erga Jehovam Deum Israelis.* 1 Reg. XIV, 13. Nec idololatria Achasi pio ejus filio, Jechiskiæ, neque impietas Ammonis pio Josiæ fuit imputata 2 Chron. XXIX, 2. XXXIV, 2.

Quæ cum ita sint, locus Exod. XX, 5. ubi peccata parentum in filiis usque ad quartam generationem puniri dicuntur, intelligendus est de peccatis participationis, ubi accessit imitatio, quæ ad tertiam aut quartam generationem parentum μακεσθίων extendi solet. Et de hujusmodi peccatoribus, peccata parentum suorum ad poenam imitantibus, per se valebat illud proverbium: *Patres comedunt omphacem, & dentes filiorum obstupescunt.* Ezech. XVIII, 2. Judæi vero, cum poenæ ipsis immitterentur, eo abusi culpam omnem a se amoliebantur, eaque in maiores suos translata de ejusdem imputatione conquerebantur, sed immrito, ideo citato loco ob effati istius abusum reprehensi. Conf. Jerem. XXXI, 29, 30. ubi Deus calumniam istam, quod filii propter parentum peccata immerito puniantur, refellit, argumento ab eventu largissimæ benedictionis, in Judæorum posteros tempore Messiæ diffundendæ, desumto.

Negari vero nequit, sâpe parentum & principum poenæ etiam liberos ac subditos promiscue, & inter hos innocentes quoque, involvi: id quod etiam alias non raro viideas in calamitatibus, quibus integræ urbes ac regiones premuntur. Ubi si quæras, quæ hic sit ratio poenæ, ubi nulla est culpa participatio? Scias, apud innocentes sine culpa nullam quoque esse poenam; calamitatis vero communio-

B

nem

## SECTIO PRIOR.

nem ex ipsorum parte nihil esse nisi paternam castigationem, in optimum *bonum* finem factam, eamque Dei gratia ita temperari, ut toleratu sit facilis, non minus quam molestia quædam medicinalis. Ipsi autem fideles Dei filii in communis mali perpessione non sunt immemores mali sui inherentis, seu originalis, quod istas castigations temporales per se meretur, sibique gratulantur, omne propriæ dictæ poenæ rationem ab iis esse sejunctam.

## PROPOSITIO VI.

*Participatio, seu communio, quam rei alienæ imputatio pro fundamento habet, est varia.*

## ILLUSTRATIO.

i. NATURALIS, seu ejusdem naturæ, cum imitatione conjuncta. Secundum quam Deus peccata parentum posteris in tertii, aut quartam usque generationem, quo usque imitatio superstite parentum & avorum exemplo extendi solet, ad penam imputat. Exod. XX, 5. *Ego Jehova Deus tuus fortis zelotes sum, visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes & in abnepotes, & in eos, qui odio prosequuntur me.* Vide hoc effatum repetitum c.XXXIV, 6,7. Num. XIV, 18. Deut. V, 9. Jer. XXXII, 18.

Not. a. Ubi imitatio locum nondum habuit, ut in infantibus hominum diluvio pereuntium  $\times$  t.  $\lambda$ . mors peccati originalis stipendum fuit, parentum iniquitate acceleratum, misericordia tamen loco extraordinarie relicto.

b. Secundum communionis hujus naturalis, cum imitatione conjunctæ, fundamentum Deus peccatum protoplasmatorum primum universo humano generi imputat.

c. Dari imputationem peccatorum avitorum non iustum, apud Israelitas posteri istorum conscië demissis deprecationis-

## SECT' O PRIOR.

II

cationibus suis identidem indicarunt. Vide Psal. CVI, 6. Thren. V, 7. Dan. IX, 5, 16. Esra IX, 7. Conf omnino Lev. XXVI, 40. sqq. ubi extat promissio de remittendis peccatis posterorum, si horum *punitentia* intercedat.

2. MORALIS, ubi participatio culpæ variis & plurimis fit modis, v. g.

*Suadendo* 2 Sam. XVII, 1, 2, 3. ubi consilium Achitophelis de Davide interimendo Jo. IX, 48. seqq. consilium Caiphae de Christo occidendo. Vide Num. XXIV, 14. collato cum c. XXV, 1. XXXI, 16. de consilio Bileami de Israelitis per viam libidinis ad idolatriam pelliciendis & sic vindictæ sui ipsorum Dei exponentis. Conf. Gen. III, 6, 12. & Psal. I, 1.

*Jubendo & approbando* Luc. XXIII, 51. ubi laudatur exemplum Josephi Arimatæensis negativum, seu contrarium. Positive huc pertinet exemplum Phariseorum, Christi hostium, ubi & discipuli ipsorum, Pauli. Act. VIII, 1.

*Defendendo* Jef. V, 20. Ezech. XIII, 10, 18. ubi va, seu judicium denuntiatur gravissimum illis, qui *patroni nequitiae* existunt.

*Inescando* 2 Pet. II, 14, 18, 19. ubi illud patrociniij genus reprehenditur, quo *ro liber* concupiscentiarium per *ro licer* sovetur & ornatur, animis in perniciem suam inescatis.

*Occultando*, ubi indicatione erat opus. Deut. XIII, 8. sh. 19

*Connivendo*, ad exemplum Eli 1 Sam. II, 23, 24. III, 13. l. 2015

*Occasionem præbendo*. Sic Rom. XIV, 15. 1 Cor. VIII, 11. fratrem infirmum perdere dicitur, qui ipsi efficacem præbet occasionem, ut fidei naufragium faciat. Huc refer illud QUINTILIANI L. VI. c. 10. *An eidem cedes imputanda sit, a quo capit iugium?*

*Negligendo facultatem impediendi* Lev. XIX, 17. Ezech. III, 18. XXXIII, 6, 7, 8. conf. Exod. XXI, 28, 29. Deut. XXII, 8. aut *preces* 1 Sam. XII, 23. Dan. IX, 13.

B 2

Imitan-



## SECTIO PRIOR.

*Imitando* Num. XXXII, 14. Neh. XIII, 18. Jer. VII, 26. XVI, 12.

Huc refer illud Christi Matth. XXIII, 32, 33. *implete mensuram patrum vestrorum, ut veniat super vos omnis sanguis justus, effusus in terra inde a sanguine justi Abelis &c.* *Ajuvando* 2 Chron. XIX, 2. ubi reprehenditur Josaphatus, quod Achab auxilia tulerat. Huc speciatim pertinet participatio furti Psalm. L, 18. Prov. I, 13, 14.

*Conversando* cum improbis, ita ut ipsorum improbitas haud improbetur Rom. XVI, 17. 1 Cor. V, 11. 2 Thess. III, 6, 14. 2 Jo. ep. v. 11 Apoc. XVIII, 4.

*Scandalum præbendo* Matth. XVIII, 6. per quod reatus ex effectu, seu imitatione, recidit in causam suam. Conf. Rom. XIV, 15. 1 Cor. VIII, 11. seqq.

Not. De peccatis participationis, maxime e causa moralis, vide generatim 2 Cor. VI, 14. Eph. V, 7, 11. 1 Tim. V, 22.

3. CIVILIS, seu ejusdem familiæ, civitatis, aut reipublicæ, ubi non raro peccatum aliquod patriæ familias, aut principis, simul imputatur proli, aut subditis, in poenam, quia in culpam consenserunt, aut poenam suismet peccatis aliis jam antea commeriti sunt. Quo posteriore casu tamen non tam imputatio delicti alieni, quam vindicta proprii adest, & hæc nisi *xat' ἀναλογίας* & ex occasione ad imputationem referitur. Vide 2 Sam. XXIV, 26, ubi David quidem negat, oves, seu subditos suos, peccasse, sed negationem tantum ad idem peccati genus refutat, ita ut non neget, illos alio modo plaga esse dignos. Exempla alia, & quidem de peccatis veræ participationis, vide in familia Achani Joh. VII. Saulis 2 Sam. XXI, 1. seqq. Jerobeami 1 Reg. XIV, 10, 13. Achabi 2 Reg. X. Conf. Jer. XV, 4. 2 Reg. XXI, 11. 2 Chron. XXI, 14. XXVIII, 19.

Not. 1. Ad participationem civilem pertinet etiam illa communio, quæ est inter membrum aliquod & integrum corpus societatis civilis. Vide Deut. XXI, 1 seqq. ubi præcipitatur

## SECTIO PRIOR.

13

tur, quomodo homicidii occulti culpa, per participationem talis, a regione & urbe integra expiari & averti possit, ne alii in poenam imputetur.

2. Quod si poena alicuius familiae, aut urbis ac regionis, præter fentes etiam insontes corripiat [sicut ruina Saulis etiam Jonathan 1 Sam. XXXI, 2. & Israëlitici populi etiam Jeremias, Ezechiel ac Daniel involvebantur] id proprie non est poena, sed paterna, et si acrior, castigatio, qua, ut aurum igne, a stipulis purgantur. Conf. 1 Cor. XI, 32. 1 Pet. IV, 12, 17. In membris alicuius sectione hostis vulnerat in perniciem, chirurgus in salutem.

4. FORENSIS: qualis est inter debitores, seu reos & sponsorem. Ubi sponsori ob sponzionem imputantur debita, imposita solutionis necessitate. Hoc modo Christo, tanquam sponsori nostro, nostra imputata sunt debita & delicta. 2 Cor. V, 21.

5. SPIRITALIS seu SUPERNATURALIS, qualem regenerationis, & inde ortæ fidei, ordo Christum inter ac ejus membra constituit: qua supposita fidelibus justitia Christi actu forensi imputatur. Quæ participatio Christi supernaturalis respondet naturali illi Adami participationi, quam ordo generationis parit.

## OBSERVATIONES

ad ubiorem illustrationem.

i. Imputationem peccati alieni, supposita participatione aliqua, locum habere, nec injustam esse, præter exempla hactenus recensita etiam liquet.

a. Ex illo Iudæorum effato: *Sangvis ejus super nos & super filios nostros* Matth. XXVII, 25.

b. E quæstione discipulorum Christi: *Rabbi, quis peccavit, & (inde a nativitate cœcus) an parentes ejus, ut cœci nascerentur?* Joh. IX, 2.

B 3

c. Ex

## SECTIO PRIOR.

c. Ex ipsius Christi judicio, Matth. XXIII 34, 35. *Ecce, mitto ad vos prophetas, sapientes & legis peritos, & eorum aliquos occiderem, flagellabitis & persequemini oppidatim en participationem culpæ a v tæ in imitatione! ut veniat [ ecce communionem poenæ! ] super vos omnis sanguis justus effusus super terram, inde a sanguine Abelis justi, usque ad sanguinem Zacharie filii Barachie, quem occiditis [ in majoribus vestris, eodem hostilitatis affectu animati ] intra templum & altare. Conf. v. 30, 32. ubi Christus Judæis, hostibus suis sanguinariis, exprobatur, quod majores suos accusent, nec tamen a participatione culpæ immunes, sed iis potius deteriores sint. Id quod etiam in Adami posteros, curiosos illos & sanctulos, qui adversus caput suum murmurant, quadrare videas.*

2. Supposita *imitatione* peccata parentum filiis ita imputantur, ut non solum hi puniantur propter inharentem labem & imitationem istam, sed ut etiam parentum peccata in filiis puniantur, horum poena adaucta. Id quod sibi vult emphasis locutionis: *visitare peccata parentum in filiis.* Exod. XX, 5. Ubi tamen notandum est, poenam temporalem, maxime ubi adaucta videtur, sœpe naturam suam amittere, & intercedente sera poenitentia transire in paternam, et si acriorem, castigationem.

3. *Imitatio* parentum, seu majorum, apud posteros alia est *directa*, in tertiam aut quartam generationem usque; alia *indirecta*, vera tamen, in generationes longe plures extensa; de qua agit dictum Christi paulo ante allegatum Matth. XXIII, 34, 35.

4. Exempla paulo ante ad illustrationem producta agunt tantum de *imputatione* culpæ alienæ: sed eadem est ratio *imputationis* beneficiorum & meritorum alienorum, si quis participationis nexus intercesserit v. g.

Exod. XX, 6. *Exerceo benignitatem in mille generationes*  
(a pa-

## SECTIO PRIOR.

15

[a patribus] quantum ad amantes me & observantes præcepta mea.

Jos. II, 17-19. VI, 17. Ubi Deus Rachaba causa universæ ipsius cognitioni pepercisse dicitur.

5. Deus in imputatione *alieni boni* liberalior est, quam in imputatione *alieni mali*, tantum sub exspectatione participationis v. g.

Gen. XIX, 32. Deus propter numerum justorum exiguum seu denarium, parcitus erat universæ turbæ impiorum, quam Sodom continebat.

Gen. XIX, 21, 22. Loti causa, titionis instar ex incendio Sodomæorum erepti, [Zach. III, 2.] Deus toti urbi Zoar, alias ob flagitia sua exitio devotæ, pepercit.

Deus Davidis causa gratiam exhibuit populo & impiis regibus, ejus successoribus, benignitate sua eos ad paenitentiam invitans. 1 Reg. XI, 12, 13. XV, 4. Huc imprimis refér egregium illud effatum 2 Reg. VIII, 19. *Noluit Jehova perdere Iehudam, propter Davidem, servum suum, quemadmodum dixerat ei, se daturum ei lucernam in filiis ejus omnibus diebus.*

Sic ob pium Josphatūm Deus impio Ioram pepercit 2 Reg. III, 14. quemadmodum universo Israeli ob patres 2 Reg. XIII, 23. *Gratiā faciens iis Jehova misertus eorum respexit ad eos propter fadus suum cum Abramō, Isaaco & Jacobo. n. r. λ.*

6. Culpæ alienæ alienique meriti imputationem illustris PUFFENDORFIUS in Elem. Jurispr. univ. L. II. ax. 1. §. II. e fundamento juris naturæ non male ita declarat: *Quemadmodum ea bonorum est natura, ut etiam gratis recte alicui & citra causam exhiberi queant, mala autem citra præcedens demeritum inferri non possunt: ita si quis alteri bonum aliquod sub nomine beneficii puri conferre nolit, licebit id sub titulo imputare actionis alicujus, quam alias iste sibi vindicare non poterat, facere. At malum aliquod alteri imputare haud quidquam licet, nisi ipse facte se suo reatus participem fecerit.* Sie

v. g.



v. g. r. de princeps filio nullis meritis conspicuo beneficia [merita] paterna potest imputare, eorumque iniuitu ipsi honores alias non debitos conferre. Ast hanc ita innocens filius paterna delicta luere debet.

7. Cum non solum culpae alienæ, sed alieni etiam meriti detur imputatio, Dei imputatio, generatim considerata, est actus forensis, quo Deus actum aut habitum alienum, in ordine participationis, alicui imputat, seu attribuit, & malum quidem in culpam & paenam, bonum vero in justitiam & præmium.

8. Exemplum imputata alienæ culpx, & alieni meriti, eminentissimum habemus in negotio salutis, seu in doctrina de Christo, ut suo loco videbimus.

## PROPOSITIO VII.

Latus Adami, supposita labis participatione, per ipsam nascendi sortem facta, a Deo non injuste universo humano generi in poenam imputatur.

## DEMONSTRATIO

Argumentum I, a re ipsa desumptum,

Deus Adamo, tanquam stirpi & foederali capiti totius humani generis, bonum inestimabile, sui imaginem, eum in finem concediderat, ut illa in eodem ad posteros transmissa in nominis sui gloriam propagaretur. Perditum vero est depositum illud culpa ingenti totius humani generis, quod in Adamo respectu seminali & radicali jam adiuit, & cum eo unum quasi personam constituit; seu culpa totius humanæ naturæ, qua in Adamo ita jam fuit integra, seu plena, ut, et si multiplicata est personis innumeris, haec tamen omnes non nisi eandem habeant naturam, ab Adamo derivatam, seu praeter corpus & animam ab eo nihil acceperint. Nam Deus in peccati

## SECTIO PRIOR.

peccati-originalis *imputatione* non respicit *personas* nostras,  
sed *naturam* nostram: hoc est, illud nobis imputat, non in  
quantum singulares sumus *personæ*, sed in quantum ejusdem  
*natura humana* ex Adamo facti sumus participes. Translit  
reatus a capite in universum corpus, a radice, seu stirpe, in u-  
niversali arbore omnesque ramos humani generis. Re-  
atum vero hic omnino adesse, cumque ducere ad poenam, ex  
iis constat, quæ Dissertatione II. & III. tradita sunt.

Not. Respectus foederis, seu capitinis federalis, in Adamo  
maximi est momenti. Nam quemadmodum Adamus, tanquam  
*caput naturale*, in humanum genus universum transfudit *ipsam labem*; ita tanquam *caput federale* & *moralis* in istud transmis-  
fit reatum. Et ex hoc ipso respectu foederali liquet, cur non  
quævis alia peccata Adami humano generi æque imputentur,  
quam primum illud παρασπόδημα, seu violatio foederis, sci-  
licet quia ista, ut mere personalia, hanc, tanquam malum u-  
niversale, consecuta sunt. Item inde constat, cur aliorum  
majorum peccata v. g. Caini, Lamechi, humano generi non  
æque imputentur, quia ista omnia primum παρασπόδημα iti-  
dem consecuta sunt, nec peccantium ullus caput totius gene-  
ris humani foedrale exsistit, quod dona pro isto universo ad  
posteros transmittenda acceperit. Quare uti majorum fides  
personalis neminem posteriorum salvat, ita nec peccata illo-  
rum personalia ullum citra participationem specialel da-  
mnant.

**Argumentum II. e loco præcipuo Rom. V, 12. scqq.  
ubi diversa Pauli effata notanda sunt:**

1. Per lapsum Adami peccatum, seu corruptio, venit in  
onundum, & genus humanum ita invaserit, ut mors, tanquam pæ-  
na, per comminationem violationi foederis opposita Gen. II. cum  
eodem simul ingressa, illud totum occupaverit. Ubi vero pœ-  
na

## SECTIO PRIOR.

na peccati, tanquam ejus stipendum [c. VI, 20.] quod in morte est, locum habet, ibi peccatum ipsum ad eandem imputari necesse est. v. 12. Est enim nexus *culpam & pœnam* inter necessarius, ita ut, qui pœna fit obnoxius, omnino culpa ejus subjaceat. Jam vero totum humanum genus obnoxium est morti, tanquam poena, qua culpa Adami actuali, qua divinum feedus interruptum est, per comminationem dictata erat Gen. II, 17. Ergo necesse est, locum hic habere imputationem culpa istius actualis, scilicet in ordine transfixa & communicata labis. Conf. I Cor. XV, 21, 22.

2. In Adamo omnes peccavimus ad reatum pœnamque mortis: ibid. Jam vero non peccavimus in eo, tanquam jam ipso actu existentes. Ergo in ipso peccavimus, ut in capite nostro & in radice nostra, ita ut peccatum violati feederis, supposita corruptionis participatione, nobis fuerit imputatum.

3. Mors, tanquam peccari Adamici stipendum, seu pœna, regnavit inde ab Adamo usque ad Mosem, & sic parro, etiam in eos, qui non peccarunt in similitudine transgressionis Adami, h. e. in ejus posteros, qui cum eo non peccarunt actu ipso. v. 14. Ergo oportet ipsos peccati Adamici causa versari in reatu, seu culpa; siquidem irrogatio pœne sine culpa locum non habet.

4. Lapsu Adami **MULTI**, UNI Adamo relative oppositi, seu quotquot universa generis humani multitudo continet, mortui sunt, pœne facti obnoxii. v. 15. Quo autem jure, nisi e participata & imputata culpa?

5. Ex uno Adami peccato, seu ejus lapsu, venit *xp̄ia*, reatus (judicium reatus, seu reatu innixum, reos judicio obnoxios reddens) *ēis κατάκεια*, in condemnationem; scilicet non solum Adami, extra Messiam considerati, sed omnium quoque hominum, uti haber contextus. v. 16.

6. Per

## SECTIO PRIOR.

19

6. Per unum Adamum, seu unius Adami peccatum, mors regnavit, tanquam pena v. 17. Ergo hic supponitur communictatio & imputatio culpa<sup>e</sup>. Confer aphorismum tertium & v. 21.

7. Per lapsum unius ipsius, seu reatus judicio obnoxius, venit in omnes homines ad condemnationem v. 18. Quo autem modo, nisi participatio & imputatio culpa statuatur? Non enim iustus est Deus, ut poenam ulli inferat sine culpa ejusdem. Confer aphorismum quintum.

8. Per inobedientiam [illam actualem rupti foederis] unius hominū peccatores constituti sunt multi v. 19. quia is omnium personas, seu totum humanum genus, repræsentavit, atque ita, supposita participatione, ejusdem culpa omnibus ex a quo imputata fuit.

Not. 1. Ex his conjunctim consideratis iam evidentissime liquet, imputari peccatum Adami non quodlibet, sed illud tantum, quod is, rumpo foedere, tanquam foedale caput, commisit; utspte quod Deus ipsi sub pena mortis gravissime interdixerat.

2. Valet hic argumentatio a priori & a posteriori.

*A priori:* Quemadmodum in Adamo constituti sumus peccatores, ita etiam in Christo constituimur iusti.

Jam vero in Adamo, seu per Adami inobedientiam, ita constituimur peccatores, ut, supposita participatione labis per nativitatem naturalem attracta, ejus culpa nobis imputetur ad poenam, seu condemnationem.

Ergo in Christo, seu per Christi obedientiam, ita constituimur iusti, ut, intercedente regeneratione & nativitate spirituali, obedientia ista, seu ejus meritum, fide accensa apprehensum, nobis imputetur ad salutem.

Atque ita qui statuit imputationem inobedientia Adami, is non potest non etiam statuere imputationem obedientia Christi, aut Paulo in comparatione Adami primi & secundi tribuere paralogismum.

C 2

A

## SECTIO PRIOR.

*A posteriori:* Quemadmodum per Christum constituimur justi, ita etiam per Adamum constituti sumus injusti.

Atqui per Christum ita constituimur justi, ut obedientia ejus, per fidem in regeneratione accensam apprehensa, nobis imputetur ad iustitiam ac salutem; id quod manifestum est cum ex ipso hoc textu, præcipue e v. 16. & 18. tum ex integra tractatione antecedenti, quæ c. III, 19. seqq. & c. IV. habeatur.

Ergo per Adamum ita constituti sumus injusti, ut inobedientia, seu culpa ejus, in ordine participationis, per ipsum nascendi fortem factæ, nobis imputetur ad poenam, seu condemnationem.

Quare qui statuit imputationem iustitiae Christi, non potest non vi Paulina argumentationis etiam statuere imputationem iustitiae Adami, aut Paulo, repugnante sermonis proprietate, hunc adscribere paralogismum: Sicut labes seu corruptione Adamica nobis non imputatur, sed tantum per nativitatem inheret: ita iustitia Christi nobis imputatur.

3. Conferendæ hic omnino sunt *observationes exegēticæ* Dissertatione III. Sect. II. de loco hoc Paulino Rom. V. 12. seqq. ex instituto datæ.

## Observationes aliquot peculiares.

1. Argumentum tertium, e loco Eph. II, 3. *Eramus naturæ filii ire, sicut etiam reliqui*, jam occupatum deductumque videas Dissertat. III. Sect. II.

2. E superiori tractatione liquet utrumque: 1) Imputationem rupti fœderis, seu delicti primi, non esse nudam, sine naturali contracta labis transfusione & communicatione. Id quod contra Pelagianos præcipue notandum est. 2) Transfusionem hanc inharentem non factam esse sine imputatione παρασπενδίματος, uti existimat POIRETUS, &, prater Soci-

## SECTIO PRIOR.

21

Socinianos, ante eum PLACAEUS, Theologus Sal-murienfis, cum aliis nonnullis statuit, refutatus a GARISONIO, & paulo ante a Synodo Carentoniensi in Gallia. Conf. Cel. D. PFAFFII Disput. de Imputat. Lapsus Adæ §. VI.

3. Cum imputatio peccati Adamici jam tum per se satis habeat fundamenti, non opus est, ut cum PE'RO MUS EO Di-sput. in Rom. V, 12. & cum aliis nonnullis Theologis, consen-sum posteriorum ejusmodi allegemus, qui a Deo per scientiam aliquam medium, tanquam futuribilis [uti loquuntur] fu-erit pravisus. Conf. modo allegati Theologi Tubingenfis Di-sput. §. X.

4. Peccati alieni imputatio, participationis fundamento nixa, æque non est contra bonitatem & gratiam Dei, ac peccati proprii ac alieni non imputatio, seu remissio, alieno lytro superstructa, non est contra justitiam ejusdem.

PROPO. IT. O VII.

Christus, vi Sponsionis, peccata Ada-mi & totius mundi sibi sivit imputari, & imputata fulcepit, tanquam sua i-plius.

## DEMONSTRATIO.

1. *Generatim ex imputatione peccatorum typica, seu sacri-ficiali.* Hic manifestum est, peccata offerentium adhibito χειροθεσίᾳ ritu translata fuisse in victimam, per surrogationem iplorum loco oblatam. Vide Dissert. V. Propos. XII. Jam vero Christus victimarum sacrificialium fuit antitypus, ut ibidem Prop. XV. pluribus demonstrabitur. Ergo necesse est, in ipsum etiam peccata nostra per impositionem λεγισμήν, seu imputationem, fuisse translata: si quidem iste χειροθεσία ritus in re sacrificiali unus fuit e precipuis, ideoque in applicatione antitypica abesse non potuit.

C 3

2. Spe-



## SECTIO PRIOR.

2. *Speciatim e ritu hirci Asafel.* Huic enim peccata totius populi Israelitici, solenni eorum confessione edita, per χειροθεσίαν non μεταβατικάς, sed λογισμικάς, imponebantur: quæ imposita iste e medio hominum in desertum ablegatus aufererebat Lev. XVI, 21, 22. Hircum vero hunc ἀπομηπάνον adumbrasse Christum, ne ipsi quidem Sociniani negant. Ergo Christo imputata sunt peccata nostra. Ista enim impositio peccatorum typica, cum istorum *infusio*, aut *inhæsio*, locum non haberet, non nisi λογισμική, seu imputativa fuit, & in Christo esse potuit.

3. *E loco Jesiae Llll, 6.* ubi Deus omnia peccata nostra in Messiam incurvare fecisse, seu ita conjectisse dicitur, ut ea ipsi in poenam gravissimo cum onere incubuerint. Quo loco cægregie illustratur antecedens ille de hirco emissario.

4. *E locis illis, ubi Messias peccata nostra portare & auferre dicitur.* Jef. Llll, 4, 11, 12. Conf. Jo. I, 29. 1 Joh. III, 5, 1 Pet. II, 24. Hebr. IX, 28. Conser quæ Disputat. V. Propof. IV. & XII. & Disput. VII. Propof. V. & X. occurrent.

Jam vero Christus peccata nostra non habuit per communem *inhæsionem*, utpote omnis inhærentis peccati absolute expers Hebr. IV, 15. VIII, 26, 27, 28. 1 Pet. I, 19. II, 22, 23. III, 18. 1 Jo. II, 20. III, 15. Conf. Jef. Llll, 9. Dan. IX, 24. Luc. I, 35. Jo. VIII, 46. Ergo per *imputationem*. Nec obstat auferendi notio in quibusdam locis. Nihil enim auferre potuit, quod non susceperebat; nihil deportare, quod non portaverat. Nihil autem suscepit per *inhæsionem*, aut *infusionem*; ergo per *imputationem*.

5. *E locis illis, ubi Christus peccatorum pœnam sustinuisse dicitur* in gravissimis afflictionibus, ipsi ab ipso Patres suo, tanquam justo judice, immisis, ut: Jef. Llll, 4, 5, 7, 8, 10. Rom. VIII, 3. Huc refer universam perpersionem Christi & ipsius mortis historiam, & cum hac quidem observatione, quod Christus

## SECTIO PRIOR.

23

*esus traditus sit in mortem Rom. IV, 25. VIII, 32.* quæ locutio pœnae hitionem habet. Jam ubi pena locum habet *metatatu*, ita ut revera translata & tolerata sit, ibi omnino supponitur culpa; cum judicium Dei non injustum sit, in primis in proprium Filium. Culpa vero propria in ipso per inhafionem locum habuit nullum. Ergo aliena per imputationem. Quid? quod *mors peccati sit stipendum Rom. VI, 23.* ubi non proprii, certe alieni, seu imputati.

6. *E loco 2 Cor. V, 21.* ubi Christus pro nobis factus dicitur peccatum. Quo autem modo aliter, nisi per imputationem, cum *inhafio* omnis excludatur. Et hac illationis ratio est in ipso textu, speciatim in verbis: *ut nos reddamur justitia Dei in ipso.* Ubi hunc in modum argumentamur: Christus ita factus est peccatum, uti nos reddimur justitia. At nos reddimur justitia per imputationem. Ergo per imputationem etiam Christus peccator redditus est.

Notanda tamen hic est hac inæqualitas: quod nobis non solum justitia imputatur, sed inchoato etiam infunditur, ita ut nobis vita sanctimonia inhæreat. Christo autem peccatum tantum imputatum est, sine ulla infusione, aut inhafione. Ceterum proprietatem & emphasis hujus loci pluribus considerata vide Dissertat. VII. Propof. VIII.

7. *E loco ad Hebreos IX, 18.* ubi Christus in secundo adventu futurus dicitur *sine peccato.* Ergo in primo adventu peccatum habuit. Non vero per *inhafionem.* Ergo per imputationem. Huc refer loca Psalmorum diversa, ubi Messias de peccatis suis, h. e. sibi imputatis, conqueritur v. g. Psalm. LXIX, 6.

8. *E loco Gal. III, 13, 14.* ubi Christus dicitur *factus *xaraza* & *ixmerapar**, execratio & execrabilis. Qui cum ibidem simul, tanquam semen illud monadicum & benedictum, describatur, maledictio aduersus ipsum locum habere non potuit, nisi supposita peccatorum alienorum imputatione, ob quam in

## SECTIO PRIOR.

14. in crucem fuit sublatus. Atque ita crux non attulit malefici-  
nem, sed *maledictio crucem*.

9. *E locis, ubi Christus expresse dicitur passus & mortuus PRO NOBIS, seu NOSTRI Loco, & peccata non sua, sed no-  
stra in crucem sustulisse & expiassisse 1 Pet. II, 24.* Huc refer ple-  
raq; loca ex antecedentib; argumentis. Plura videantur in Dissert.  
V. Prop. XVI. Jam vero si Christus non solum negatur peccata  
habere propria, sed expresse etiam dicitur expiassisse aliena; quis  
hic non denuo videat fundamentum *imputationis & simul sur-  
rogationis*, quod Christus locum & vices totius humani gene-  
ris sustinuerit? Atque ita hoc argumentum ipsaque Propositi-  
o hoc respectu confirmatur per integrum Dissertationem VII.  
& VIII. de *Satisfactione*.

10. *E doctrina de Justificatione, seu justitia Christi impu-  
tatione secundum locum 2 Cor. V, 21. ubi haec procedit argu-  
mentatio;*

Quemadmodum nos in Christo reddimur justitia, ita Christus  
nostris loco factus est peccatum.

Atqui nos in Christo reddimur justitia per justitiam ejus  
dem imputationem; quemadmodum pluribus demonstratur  
Dissert. XII.

Ergo etiam Christus per imputationem factus est pec-  
catum, seu peccator maxime reus. Confer omnino v. 19. u-  
bi negatur, Deum ob factam Christi reconciliationem mundo  
peccata sua imputasse. Quia peccatorum non imputatio omni-  
no imputationem illam, quia Christo facta est, supponit; ut-  
pote propter quam ille pro omnibus mortuus esse dicitur v. 15.

## PROPOSITO IX.

Quandoquidem, uti supra Propos.  
V. evictum est nulla imputatio est le-  
git.-

SECTIO PRIOR

25

gitima, nisi aliquo participationis, seu communionis, fundamento nitatur; peccatorum nostrorum imputatio, quæ Christo facta est, supponit voluntariam ejus SPONSIONEM, præviso lapsu de Satisfactione factam & acceptam.

ILLUSTRATIO.

SPONSIONEM a Filio Dei de humani generis redemtione esse factam, liquet;

1. *Ere ipsa.* Nihil enim Christus circa salutis nostræ negotiū in tempore per prophetas promisit & ἀυτοπρωτόπως præstīt, quid non jam antea & ab æterno præstare voluerit & decreverit. Hæc autem Christi voluntas, de genere humano in assumenda humana natura redimendo, judicio Dei declarata, est ipsa SPONSI.

2. *E Scripturæ sacræ testimoniis.* Hebr. VII, 22. Christus dicitur ἔγγυος υἱοῖ τοῦ διαθήκης sponsor melioris testamenti, h. e. is, qui vi sponsionis suæ œconomiam gratiæ constituit & satisfaciendo complevit. Conf. Job. XXX, 23, 24. Huc pertinent loca, ubi Christus vocatur μεσίτης, mediator novi fœderis 1 Tim. II, 5. Hebr. VIII, 6. IX, 15. XII, 24. Sponsor enim & mediator re ipsa sunt synonyma. Dum enim Christus, ut reconciliator, medius Deum inter & humanum genus intercessit, sponsionem fecit & explevit.

Atque ita SPONSI Filii Dei est prima salutis nostræ basis. Sponsionem enim in consilio Dei acceptam in tempore exceptit ipsa Filii missio, advenas, & satisfactio, primum promissa & per typos adumbrata, deinde præstata & consummata.

D

PRO-

SECTIO PRIOR.  
PROPOSITIO X.

Doctrina de peccati alieni imputacione, cum doctrina de justitia Dei vindice collata, doctrinam de Satisfactione & de Justificatione, seu de imputatione justitiae alienae, egregie illustrat, ejusdemque necessitatem ostendit; sed itidem in ordine participationis,

ILLUSTRATIO.

1. Ordo hic participationis est in fide & ejus negotio. Fide enim Christum apprehendimus, tanquam alterum Adamum, ita ut & in ipso simus & in ipso reputemur, ut pote facti ejus participes, secundum illud Pauli: *Christi facti sumus partipes* [cum certo aeternæ salutis eventu] si quidem *initium hypostaseos* [fidei consistentis] firmum usque ad finem retinuerimus. Hebr. III, 14.

2. Accensio autem fidei ipsa est collatio vitæ spiritualis, seu regeneratione; fidei; receptione, seu progerminatio & nativitas spiritualis. Unde liquet, etiam respectu participationis egregiam analogiam statui restitutionis cum statu destitutionis intercedere. Quemadmodum enim imputatio inobedientiæ Adani supponit fundamentum participationis, in ipsa nascendi forte, seu nativitate naturali, possumus: ita etiam imputatio obedientiæ, seu justitiae Christi, locum habere nequit, nisi in ordine renascendi, seu in regeneratione & nativitate supernaturali: siquidem in hac fides acceditur, per quam Christum apprehendimus, & quæ participationis nervus est.

3. Jam quemadmodum Adamus, tanquam stirps, in ordine nativitatis naturalis, reatum transfudit in universam generis

## SECTIO PRIOR.

27

neris humani arborem & singulos ejus ramos; sic Christus, tanquam stirps nova & caput novi corporis mystici, *dignissima*, *meritum*, reatus isti oppositum, paravit, istud in ordine regenerationis, in quantum fide apprehenditur, in universum genus humanum translaturus. Quare quicunque Christum apprehendit, reputatur in illo justus per imputationem iustitiae ipsius, quemadmodum in Adamo per imputationem inobedientiae ejus injusti reputamur.

4. Quemadmodum vero in lapsu Adami, & generis humani destituzione, imputatio reatus cum participatione ipsius corruptionis fuit conjunctissima; ita in statu restitutionis imputatio *dignissima*, seu iustitiae Christi, a participatione novae vitæ novarumque virium & spiritualis sanitatis magis magisque restituenda, divelli nequit.

5. Ceterum summam satisfactionis & iustitiae imputatae fuisse necessitatem, patet ex gravitate reatus istius, quem natura omnium hominum una cum debito ingenti, cui exsolventio de impar est, ex & in Adamo attraxit. Vide Dissert. III.

### PROPOSITIO XI.

Utriusque imputationis analogia luctuosa est in capite quinto epistolæ ad Romanos.

### ILLUSTRATIO.

In hoc enim loco de statu restitutionis ex parte alterius Adami, seu Christi, sequentia deprehendimus effata, illis, quæ supra Propos. VII. de imputatione culpæ, seu reatus Adamici, dicta sunt, in oppositione parallela:

1. Gratia Dei & donum in gratia, quæ est unius hominis, Jesu Christi, seu iustitia Christi, in multos redundavit, ipsis ad justificationem imputanda v. 15.

2. Charisma Christi, seu donum iustitiae ejus gratuitum,

D 2

libe-



liberat nos e multis peccatis ad justificationem, nobis ad justitiam imputatum. v. 16.

3. Per Christum accipimus gratiam & justitiae donum, jactura illa, quam per lapsum accepimus, abundantius, & ita comparatum, ut per illud in vita regnare possimus v. 17.

4. Per unius Christi *dincionia* meritum justitiae, seu satisfactionis gratia, se diffundit ad justificationem vita. v. 18.

5. Per unius Christi obedientiam justi constituantur multi v. 19: scilicet ita, ut ipsius *dincionia* ipsis *eis dincionis*, in justificationem, cedat, seu imputetur. v. 18.

Not. a. Conferenda hic est cum generatim expositio partis posterioris cap. V. epistola ad Romanos, in Dissertationis III. Sect. II. tum speciatim argumentatio analogica de imputatione alienae injustitiae, qua a priori & posteriori facta est supra Propos. VII.

b. Hæc vero omnia exigente analogia de restitutione per Christum in antecessum, ideoque parcus tantum, traduntur. Ex instituto de ea agetur Dissert. VII. & VIII.

c. Notari hic merentur, quæ de Christo, altero Adamo, observat Ven. D. Jo. CHRISTOPH. PFAFFIUS Disput. de *Imput. divina lapsus Adæ* p. 17. *Christus e patribus quidem est oriundus*, ex eo tamen imputatio lapsus Adæ Christum, utpote sanctissimum Ebr. II, 11. VII, 20. non attigit. *Nam Christus i. in Adamo*, ceu capite federali, non fuit. E. nec in ipso potest peccasse. *Quin imo Christus potius alius ac oppositus fuit Adam, & federis omnino diversi* caput Rom. V, 12. I Cor. XV, 45. *Quis itaque imputet Christo gesta illius, qui pro ipso nunquam stetit?* 2) Nec potest Christus legem illam de fructu vetito Gen. II, 17. accepisse, utpote post ejus transgressionem demum promissus Gen. III, 15. nec potuisse legi illi subjici præ se, utpote Dominus legis Matth. XII, 6. 3) Nec Christus fuit in Adamo ante peccatum vi communis benedictionis Gen. I, 28. sed singularis demum promissionis Gen.

## SECTIO PRIOR.

29

Gen. III, 15. occasione tantum peccati jam commissi, quo intermissio venturus nunquam fuisset. 4) Concepitus fuit non ex virili semine, sed Spiritu Sancto, natusque ex virgine, qualis vi prima benedictionis non parit. u. t. λ.

## FROPOSITIONE XII.

Peccati alieni, speciatim Adamici, imputatio, quæ participationis fundamento nititur, quemadmodum Scripturæ dictis exemplisque consentanea est, ita nec saniori rationi repugnat.

## ILLUSTRATIO.

1. Scriptura dicta & exempla de peccati alieni participatione & imputatione supra Prop. III. IV. V. vidimus, ut de experientia, præcipue forensi, nihil dicam. In quibus dictis & exemplis cum neutiquam desit rationis fundamentum, manifestum est, nec ipsam Scripturam de imputatione aliquid tradere, quod a ratione est alienum.

2. Vidi supra Propos. VII. gravissimas imputationis rationes, e re ipsa defumtas. Cujus vero rei rationes dari possunt, ea rationi ipsi non repugnat.

3. Aliud est rationi repugnare, aliud ob latentem participationis indolem, latentesque circumstantias ac recessus, adeo esse obscurum ac involutum, ut pro imbecillitate nostra a nobis satis evolvi cognoscique nequeat. Posterius conceditur de peccati Adamici, & generatim alieni, participatione & imputatione; sed prius recte negatur. Nam a difficultate, aut obscuritate, ad repugnantiam & contradictionem nulla valet consequentia.

4. Non est, quod tacite obmurmuremus Adamo, ipsique ipsum probemus. Quid enim hoc est aliud, quam semet ipsum

D 3

ipsum

ipsum Adamo præferre, ac statuere, παρασπόνδια per nos non fuisse futurum, si nos Adami loco suissemus? Et quid hoc est aliud, quam manifestum philautiæ documentum? Potius quilibet nostrum sibi gratuletur, quod Adami personam non sustinuerit, ideoque nec gravius peccaverit.

5. Quod si in historia lapsus, ejusque imputatione & labiis propagatione, deprehendimus βάθος, quod intellectu nostro penetrare ac emetiri haud possumus omni ex parte; caueamus nobis a vertigine, ideoque mentem, a sancta & profunda ista abysso abstractam, ad Christum, alterum Adamum, convertamus, de restitutione nostri, luculentissime patesfacta, pie & reverenter solliciti,

## SECTIO II.

DE

ERRORE CL. P. POIRETI,  
IN TRIBUS OECONOMIÆ LOCIS EXCUSSO.

Primus locus Oeconom. Tom. I. L. II.

c. XIV. §. XVII. p. 535.

*Ex actu quis peccator & nocens dici potest dupliciter, vel per actum suum proprium, vel per actum alterius. In priori modo nulla est imputatio: posterior autem quatenus ad imputationem refertur, omnium falsissimus et absurdissimus est. Neque enim major falsitas dari potest, quam si quis judicet, malignitatem cogitationis actualis mentis hujus esse malignitatem cogitationis actualis mentis illius. Quid? primus forte homo certo quodam modo cogitavit; ergone judicandum erit, me similiter quoque cogitasse, quanquam vere nunquam ita cogitaverim. Id certe judicium imputationis hujus falsum est absurdumque; res vero ipsa non magis est possibilis, quam ut non-ens sit ens,*

aut

## SECTIO POSTERIOR.

*aut non-aetus sit actus. Ergo ratio imputandi actus absurdā est.*  
*Et revera si nulla nobis esset communicatio cum peccato primi hominis, nisi quæ ex hoc iudicio, seu ex hac imputatione venit, parum inde nobis foret periculi: neque Deus tam facile nos peccatores esse iudicaret, multoque minus-ceu tales puniret: id quod tamen vere & justissime facit.*

### Disquisitio hujus loci.

1. Sect. I. Propositione II, III. & seqq. demonstratum est, imputationem esse vel *simplicem*, seu reciprocam, vel *tralatitiam*. Auctor vero noster negat utramque, nec ullam negationis suæ rationem adserit, nisi a re ipsa alienissimam.

2. In *actu proprio* omnino locum habere imputationem, nimirum eam, quam reciprocam dixi, mirum est, quod vir alias acutissimus non periplexerit. Sed tribuendum hoc est falso ipsius principio, præcipue illi de negato peccati *reatu*, & sensu *justificationis forensi*; secundum quod vel ab ipso imputationis nomine abhorruit. Quod vero nec Scripturam sacram, nec rationem, nec experientiam & communem loquendi judicandique modum, adhibuerit in consilium, ex iis, quæ citatis Propositionibus prolata sunt in medium, manifestum est.

3. *Imputationem translativam* non negat solum simpli-citer, sed impugnat etiam & irridet, contemptimque explodit, pro rationibus sibi insectationem sufficere ratus: *falsum est*, *falsissimum est*, *absurdum est*, *major falsitas dari non potest*; *non ens est*: *res non magis est impossibilis*, quam ut *non-ens sit ens* καὶ τά. Qui sane disputandi modus viro docto est indignus.

4. Quod autem imperitis cum aliqua veri rectique specie sic agere videtur, inde est, quod neglecto, immo detor-to, controversia statu diiupitat. Quod sophistica per univer-

sum

## SECTIO POSTERIOR.

32 sum Oeconomiaæ Systema dominari vides. Studione, an vero ex ἀγνοίᾳ hoc committat, non definiverim. In benignorem tamen judicii partem propendens existimo, virum doctissimum nec suæ, seu Reformatæ, cui addictus olim fuit, nec nostra ecclesia sententiam de imputatione unquam recte & solide percepisse, aut, quæ perceperit, per Burignonianam disciplinam, tanquam haustum Lethe, seu oblivionis, poculum, penitus dedidisse. Quod si ita est, in ignoratione elenchi propriæ sic dicta est veritas,

5. Pugnæ hujus Andabaticæ, seu larvaræ, specimen est in his ejus verbis; *Neque major falsitas dari potest, quam si quis judicet, malignitatem cogitationis actualis mentis hujus esse malignitatem cogitationis actualis mentis illius.* *Quid?* primus forte homo certo quodam modo cogitavit; ergone iudicandum erit, me similiter quoque cogitasse, quanquam vere nunquam ita cogitaverim. *Id certe judicium imputationis hujus falsum est absurdumque n. r. λ.* Paucis, opinor, multa hic dixerò, si suismet Autorem verbi redarguam, nimis hic hinc: *Id certe judicium imputationis hujus falsum est absurdumque.* Poiretus enim eo ipso, dum negat, dari imputationem veram; eamque impugnat, *falsa imputationis* vitium committit, ecclesia evangelica sententiam tribuens, a qua illa est alienissima. Levis certe opera est, id ire destructum, quod nemo adstruit. Relegat lector, aut mente recolat, ea, quæ supra Sect. I. de veri nominis imputatione, participationis fundamento nixa, dicta sunt ac probata, & hunc paralogismum Poiretianum mirabitur.

6. Neque in allegato loco *falsa Auctoris imputatio*, in impugnatione vera imputationis, sola est, sed adjunctam habet aliam, nempe hanc, quasi illi, qui peccati Adamici imputationem statuunt, statuerent, *nullam nobis aliam esse* commu-

## SECTIO POSTERIOR:

83

*communicationem cum peccato primi hominis, nisi eam, quæ ex hoc  
judicio, seu ex hac imputatione venit. Quod qua fide dissentientibus  
generatim imputare potuerit, non video, cum non nesciat, quæ  
eorum de originaria labis participatione sit sententia. Quæ  
de periculo & judicio Dei subjugit, per se concedunt cum  
falso suo, cui superstructa sunt, principio.*

## Secundus locus Oecon. Tom. I. L. II.

c. XIV. §. XVIII. p. 536.

*Solum nomen imputationis peccati rei nullitatem eviden-  
ter præ se fert. In genere, mali imputatio omnis & falsa est  
& injusta, nisi subjectum simul actu aut implicite consentiat.  
Respectu Dei imputatio nulla datur nisi in bono: quoniam Deus  
fons & auctor boni, bonum, si voler, ubi deest, immittere &  
ingenerare potest; & si nulla ad simile merita boni acquirendi,  
potest tamen cum subjecto, quod bono dignum non erat, perin-  
de agere ac si idem commeruerisset; adeoque potest vel propter me-  
rita alterius eorumque imputationem, vel propter se ipsum so-  
lamque voluntatem suam divinam, eidem benefacere: ipse enim,  
ceu abundantissimus liberalissimusque boni fons, in se ipso cau-  
sam invenit, unde voluntatem judiciumque suum, quo creature  
sue bonum attribuere voler, jubeat esse ratum. At idem ne-  
quaquam est fons mali; nec quippiam in se, vel in voluntate  
ac decreto suo, imo nec in potentia sua invenit, unde creatu-  
ram faciat peccatricem ac nocentem, aut unde verum & ratum  
velit esse judicium hoc, eam nocentem esse, siquidem revera nul-  
la in ipsa ratio ad ist propter quam nocens dici possit.*

## Disquisitio hujus loci.

1. Auctor adserit ex una parte, solum nomen imputationis  
peccati rei nullitatem evidenter præ se ferre: ex altera vero: ma-

E

li



## SECTIO POSTERIOR.

*li imputationem omnem & falsam esse & injustam; nisi subiectum simul actu, aut implicite, consentiat. Quia duo asserta quomodo sine manifesta contradictione confitent posint, e- quidem non video. Si enim, subiecto simul actu aut implicite consentiente, datur mali imputatio, falsum est, solum nomen imputationis peccati rei nullitatem evidenter prese ferre. Utrumque vero adserit Poiretus.*

2. Et hæc contradic̄tio eo est manifestior, quo confidentius idem paulo ante §. XVII. negaverat, *dari imputationem per actum proprium, aut per actum alterius, dixeratque priori modo nullam esse imputationem, posteriorem vero [de actu alterius] quatenus ad imputationem referatur, omnium falsissimum & absurdissimum esse.* Quod si enim datur peccati alieni imputatio, si actualis aut moralis consensus accesserit [quod hic concedit] ecce omnem imputationem, & præcipue hanc ipsam, quæ participationis fundamento nititur, exagitat & explodit? Est itaque auctor noster *avtonataxgri*, qui, veritate destitutus, fibi ipſi non constituit.

3. Pergit ita: *Respectu Dei imputatio nulla datur, nisi in bono. Quia verba is auīow̄s subiungit illis: mali imputatio omnis & falsa & injusta est, nisi subiectum simul actu aut implicite consentiat. Unde hæc emergit propositio: Mali imputatio vera & justa est, si subiectum, [seu homo aliis], actu aut implicite consentiat. Quis vero hic non videt novam contradictionem, aut novam manifesta avīow̄s momentum? Si enim subiecto consentiente justa peccati alieni sit imputatio; cur negavit, respectu Dei imputationem ullam dari, nisi in bono? Aut num, quod hac in parte justo hominura judicio concedit, de Dei judicio recte negari posse, recte existimavit? Si vel unicum ipsum locum Exod. XX, 6. de peccatis parentum, posteris in tertiam aut quartam generationem usque*

### SECTIO POSTERIOR.

usque ad poenam imputandis, considerasset, non potuisset  
non iudicio divino multo magis tribuere, quod humano ad-  
scripsit.

4. Quod si vero Auctor loquitur de imputatione actus proprii, cumque hic concedit; tamen emergit contradic<sup>ss</sup>io; quandoquidem loco primo expresse & simpliciter negavit, *in actu proprio esse imputationem*. Sed de actus proprii imputatione ipsi sermonem esse, quando concedit, imputationem ex consensu locum habere, probabile non est, quia in sequentibus, ubi de imputatione in bono agit, bonum seu meritum *alienum* intelligit. Cujus imputationem quia Deo tribuit, eidem omnino mali *alieni* imputacionem denegasse videtur.

5. Auctor concedit, Deum alicui propter alterius merita & eorum imputationem benefacere posse; & negat tamen, meritum Christi nobis ad justitiam imputari: quemadmodum Dissertationibus posterioribus videbimus.

6. Christi meritum nullo sere loco apud ipsum haberi, ex eo etiam hic colligas, quod imputationem & collationem bonorum tantum ad Dei bonitatem & voluntatem benefaciendi referit.

7. Ultima allegati loci periodus rursus recedit a statu controversiaz, nihil præterea habens, quod disquisitione egeat.

### Tertius locus, Oecon. Tom. I. L. II.

cap. XVI. §. IV. p. 549.

*Qui ajunt, nullam sese veniam precari peccati originalis, seu naturæ corruptæ, quam a parentibus acceperunt, neque conscientias suas hoc onere gravari; rem vere pessimam fatentur, unde consequitur, non peccatum hoc nullum esse; sed illos potius ejus-*

dem tenebris atque veneno adeo totos occupari & penetrari, ut conscientiae eorum intermortuae ad plenam insensibilitatem jam obduruerint. Atque hujus corruptionis vives in iis frangerentur, siquidem animo humili & contrito agnoscerent, se jam inde ab ipsa origine & periisse, & revera tot iniquitatibus constare, quot parentes eorum constarunt. Quoties vero videmus Sanctissimos tum pro se ipsis, tum pro populo, preces fudisse, veniam a Deo petentes peccatorum a parentibus & majoribus suis commissorum, quorum culpam sibi met ipsis attribuebant? Exemplo sint David, Daniel, Esdras & Nehemias. Scriptura etiam liberis peccata ac vitia parentum sexcenties exprobrat; eamque ubi causam illos stirpem impiam & adulteram, generationem malignam, progeniem viperarum, liberos eorum, qui Prophetas occiderunt, & filios impiorum appellat. Hinc & punitio peccatorum parentum ad liberos sepe & differtur & transmittitur. Hinc David quando a Deo veniam & gratiam petit, in peccatis, quae confitetur, & hoc ipsum commemorat: Conceptus sum, inquit, in iniquitate, & in peccatis genuit me mater mea. Psalm. LI, 7. Postremo vel ii, qui solas reliquias luminis naturalis secuti sunt, idem bona fide agnoverunt. Sic Author Anglus [Ed. Herbert] ea solum principia sequens, ubi de inclinationibus pravis, quae nobis natura, causa licet nulla apparente, insunt, loquitur: Occulta, ait, Dei judicia subesse existimaveris, lector: & mox, in labem istam originalem non immerito animadverti, inquit; additque consilium suum: Hisce igitur tentati noxis iram divinam deprecentur. Et scriptor ethnicus [Horatius] idem fatetur: Vitiis nemo sine nascitur.

Alii aliorum peccata non amplius portant, nisi quatenus iis actu consentiunt. At aliud est in posteritate, dum ea in majoribus suis adhuc continetur, quae certe & fortis & omnium dispositionum, quae in antecessoribus sunt, particeps est, ut natura,

## SECTIO POSTERIOR.

37

tura, ratio, scriptura & ipsa experientia docent. Natura clamat, res singulas ejusdem esse constitutionis, cuius est origo, omniaque tamdiu in origine sua censeri, & ejusdem naturae ac conditionis censeri, donec penitus ex ea exierint. u. t. λ.

### Disquisitio hujus loci.

1. Locus hic tertius eum præcipue in finem hoc est translatus, ut inde judicet prudens lector, quam parum sibi constet Auctor noster, & quomodo sua ipsius vineta cedat.

2. Concedit Auctor sequentia præsentis tractationis momenta:

- a. Conscientias nostras peccati originalis, seu naturæ corruptæ, a parentibus acceptæ, onere gravari.
- b. Ideo precatio[n]e venia nobis esse opus.
- c. Posteros tot iniuriantibus constare, quot parentes ipsum r[um] conflarint.
- d. Viros sanctissimos sibi etiam & populo peccatorum, a parentibus & majoribus commissorum, culpam attribuisse, ideoque ad impetrandum veniam ipso[s] pro se ac populo preces fudisse.
- e. Scripturam liberis peccata parentum vel sexcenties exprobare.
- f. Hinc etiam poenam a peccatis parentum sape ad liberos transmitti: ideoque iram divinam deprecandam esse.
- g. Alios aliorum peccata portare, quatenus iis actu consentiant.
- h. Omnia tam diu in origine sua & ejusdem naturae ac conditionis censeri, donec penitus ex ea exierint.

2. Hac concedit Auctor, & tamen, ut e loco primo ac

E 3

secun-

SECTIO POSTERIOR.

38

secundo percepimus, imputationem culpæ alienæ generatim vocat tantam falsitatem & absurditatem, qua major dari non posse, additque, solum nomen imputationis peccati, nimurum alieni, rei nullitatem evidenter præ se ferre, & respectu Dei imputationem nullam dari, nisi in bono.

3. Quod si dixeris, hac inter se ita esse concilianda, ut ostendatur, Pojretum peccati alieni imputationem non negasse simpliciter, sed certo tantum respectu: respondeo: 1) respectum illum nusquam ita adparere, ut inde plane expireret contradic̄tio: 2) concessionem omnem pro ipsius instituto eo tendere, ut evincat, labem Adami in nos transfusam esse respectu *soli* *damni* inhārentis, non vero respectu *culpæ* simul imputatae: 3) speciatim concessam venia preicationem hunc apud Auctorem scopum habere, ut testetur de inhārente danno, non per peccatorum remissionem, sed expurgationem, amovendo,

4. Certe si recte ipsi sententia federet de peccati, speciatim Adamici, reatu, aliam visuri essemus confessionem: neque tunc negaturus suisset, imputationem reatus Adamici & nostri Christi esse factam, & imputationem justitiae Christi credentibus fieri. Hac vero ipsum negasse, suo loco in peculiari Disquisitione videbimus,

5. Quæ cum ita sint, poiretv̄s in dogmata de peccato Adami sentit eum Socinianis. Ita enim ipse SOCINUS Lib. de Servat. P. III. cap. 8. Tametsi omnes ab Adamo prognati morti perpetuae sunt obnoxii, ID NON IDEO FIT, QVOD IPSIS ADAMI DELICTUM IMPUTETUR, sed quia ab eo prognati sunt (at hujus sententiae positio non debebat esse iustius exclusio!) qui morti perpetuae divino decreto fuit addic̄tus & ita NON PROPTER PECCATI IMPUTATIONEM, sed propter generis propagationem, id illis contingit.

6. Non

## SECTIO POSTERIOR.

39

6. Non levis quidem est Poireti error, in primis si ejusdem effectus consideres, qui se produnt in doctrina de Christo, de satisfactione & justificatione: est tamen, quod ipsum si non excusat, tamen a malitia crimine absolvit. Scilicet impugnandos sibi precipue sumit eos, qui statuunt animarum humanarum *creationem*, & harum corruptionem, quam, vi hypotheseos suæ, ad totius humanæ naturæ communicacionem, seu propagationem, referre non possunt, ad *merum* quandam *imputationem* referunt. Sed hujus extremi fuga apud ipsum adeo fuit inconsulta, ut omnino etiam *veram imputationem*, qualis supra Sect. I. descripta est, negaverit.

Videatur idem *Oecon.* L. II. Cap. XIV. p.

533. seqq.





73 5225

ULB Halle  
002 698 757

3



St

Nb 18

Mt





30

Q. D. B. V.

DISSERTATIONUM ANTIPOIRETIANARUM  
ET SIMUL ANTISOCINIANARUM

Q V A R T A

DE

PECCATI ADAMICI  
ET ALIENI IMPUTATIO-  
NE ET PARTICIPATIONE,  
TANQVAM SUPPOSITO DOCTRINAE DE  
SATISFACTIONE ET JUSTIFICATIONE, SEU  
IMPUTATIONE JUSTITIAE CHRISTI:

QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
*die XXIII. Aug. hujus M DCC XIX. anni*

PRAESIDE

JOACHIMO LANGIO,  
SS. THEOL. D. ET PROF. ORD.

Placidae disquisitioni subjicit  
RESPONDENS

JOANNES CASPARUS Blümter  
NIDERNDODELEB. MAGDEBURGICUS,  
S. Theol. Cultor.

HALAE SAXONUM,  
Typis JOAN. FRID. KROTTENDORFII, Acad. Typ.